Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1533
Quelle:
Copyright:

Fol. 147. p. 2. *Incipit liber quid interſit inter illam penitentiam que cum bonis operibus ſemper agitur. et illam que in infirmitate uel fine uite accipitur.* Initium: *Multi de fratribus uel filiis noſtris ſolliciti ſunt utrum omnis homo in infirmitate* &c. Rurſus inter *Caeſarii Sermones n.* LVII. et in dicta *Append. col.* 419. Fidentius et iſtud Opuſculum *Ephraemo* adſeri poſſet, niſi obſtarent illa: *Qui talis eſt, ſi a me penitentiam pecierit — penitentiam illi dare poſſum* &c. non enim certum eſt, *Ephraemum* Sacerdotium ſuſcepiſſe, ut teſtibus contrariis expenditur Edit. *Rom.* T. I. *Prolegom.* V. Ex hactenus recenſitis porro non niſi ea, quae *foll.* 99. 120. 133. et 139. habentur, nova verſione ab *Ambroſio Traverſario Camald.* donata ſunt, ut ex Edit. *Florent.* 1481. f. liquet.

V. *fol.* 149. ἀνεπιγραφως *Sequentia*, quae incipit:

Hac die ſollempni. voces perſultemus iubili.
Laudum grates. deuote modulantes. ſpiritus et ſenſuum geſtibus &c.

et Legionem *Thebaeam*, quae duce *Mauritio* martyrium fecit in Sec. III. et IV. confinio, celebrat. Meminit fidei ab ea *Hieroſolymis* ſuſceptae, *Romae* confirmatae, Ductoris *Mauritii*, *Maximiani* Imp. ejusque numerum ad 6666. evehit, de quibus omnibus *Bollandiani* diligenter pertractant T. VI. *Sept.* ad Diem 22. Quaeſivi Sequentiam hanc inter *Notkerianas* editas a *Bern. Pezio* T. I. *Theſ. Anecd. col.* 15. ſed aberat a Codice S. *Emmerammi*, quo ille uſus eſt. Neque tamen ad *Notkerianas* referre dubito; ita illis gemina eſt. Accedit cultus, qui in S. *Galli* Coenobio his Pugilibus Chriſti exhibetur, ut habes T. *Bolland. cit.* p. 361.

DCLVII.

R. 50 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 79. 4. currente calamo exaratus, rubricis diſtinctus, et olim, ut p. 1. notatur, *congregationis ſeu unitatis ſancte iuſtine deputatus ad uſum fratrum monaſterij ſancti ſeuerini neapolis* habet ſequentia: I. *De vita ſolitaria.* Habet Praefationem Epiſtola haec, ſeu mavis, Liber, quae incipit: *Dominis et amicis et fratribus B. priori et hec* (ſic; ſed lege: *et ceteris*) *W. ſabbatum delicatum. Pene impudenter et plus quam decebat* &c. Litera illa *W.* deſignat *Wilhelmum* ſeu *Guillelmum S. Theodorici* prope *Remos* Abbatem, qui Opuſculum iſtud ad FF. Carthuſiae *de Monte Dei* dioec. *Rem.* direxit, quamvis olim et *Bernardo Claraev.* tributum, et cum hujus Operibus, nomine tamen *Guillelmi*, editum a *Mauriaanis Pariſ.* 1690. T. V. *col.* 199. f. Adi *Admonitionem* ibi praeviam, qua doceris, literam B. familiari Librariorum incuria ſupra poſitam pro H. Carthuſiae enim illi ab a. 1144. *Haimo* praefuit.